ORATIO FVNEBRIS

GABRIELIS CAESARINI ROMANI AB EO ROMAE HABITA, DVM IN TEMPLO ARAE COELI

ALEXANDRO FARNESIO ROMANO

PARMÆ ET PLACENTIÆ DVCI III.

Iuſta funebria ſolemni ritu, a Senatu Populoq. Romano perſoluerentur.

TERT. NON. APRILIS. CIↃ. IↃ. XCIII.



ROMAE. Apud Antonium Zannetum. M. D. XCIII.

Impenſis Octauiani Gabrielij. Superiorum Permiſſu.

ORATIO.

DVM Sereniſſimo Duci Alexandro Farneſio, ſolemni ritu, iuſta funebria perſoluuntur, Patres Ampliſſimi, funebris mihi eſt orationis habendæ onus impoſitum, non tam, credo, vt eius laudes illuſtrentur, quarum vel ad remotiſſimas oras celebris iamdiu fama peruenit; nec tam vt oſtendatur, quanta eius morte ſit facta iactura, quam vtinam Deus pro ſua benignitate reſarciat; quam vt intelligatur, tantum te Roma, ciue hoc præſtantiſſimo gloriari, quantum ille te iure ſemper coluit, præclareq. rebus geſtis ornauit. Arduam ſane me ſuſcepiſſe video difficilemque prouinciam; cum & argumenti præſtantiam, & meæ facultatis in dicendo tenuitatem, & loci huius amplitudinem ac maieſtatem mecum ipſe perpendo. Verũ & patriæ mihi Cariſſimæ autoritas, & Farneſiorum nomen, cuius potiſſimum cauſa hoc loco agi videtur; non modo me omni metu liberat, verum etiã confirmat alacrẽq; reddit. Cur enim iubente patria, non grauiora etiam, ſi quæ ſint, onera mihi eſſe cenſeam ſubeunda? cur non Farnesij nominis celebrandi pro viribus occaſionem oblatam auide arripiam; niſi velim de mea in illud voluntate ac ſtudio dubitari? Tuum igitur in primis erit, Odoarde Card. Ampliſſime, orationis meæ curſum tuæ humanitatis aura prouehere, ſi quando illam in parentis tui laudibus, tanquam in alto videris fluctuantem, cum eam non temeritate aliqua, ſed ſtudio Farneſij nominis elatam, factam eſſe noueris audaciorem. Tuum erit, Senatus ampliſſime, eandem, ſi quando rerum pondere preſſa, nutauerit, imperij tui autoritate fulcire; cui vt obtemperarem, animatus melius ad dicendum fortaſſe, quam paratus accedo. Ac primum quidem de huius Vrbis dignitate verbum nullum faciam; ex qua ortus Alexander, ita vixit, vt incertum eſſe videatur, maius ne ex patria ornamentum hauſerit, an patriæ decus attulerit. Fortiſſimorum bellatorum ſeriem, qui è domo Farneſia, tanquam ex equo Tro-

iano

iano prodierunt,ne percenſebo quidem enumerando; Rerum publicarum Sanctæq. Ro. Eccleſiæ Imperatores,& ab eis partas victorias prætcribo ſilentio; mittam Pontifices Maximos, tacebo Purpuratos Patres, clariſſimos domi atque militiæ Duces,Farneſiorum denique cum auguſtiſſimis Regijſque familijs contractas affinitates; Laudem,ſi velint,ex hiſce leuiſſimis bonis, ducant ijqui nullas aut per exiguas opes proferre queunt, rerum à ſe præclare geſtarum. Tu vero Alexander,tuis, hoc eſt,animi bonis maximis diues,emendicata laudatione non indiges; Quas ergo potisſimum ex tuis virtutibus quæ nã egregia facta maxime cõmemorem? ſunt illa quidem pæne dicam,amplitudine immenſa, multitudine innumerabilia,magnitudine infinita,& quorum vel ſingula bene longam ac propriam poſtulent orationem.Mihi tamen in hac nobilisſima,illuſtrium virorum corona, non ſolum tuæ dignitatis, ſed etiam temporis, & virium mearum habenda eſt ratio diligenter: cum præſertim, vt ante dixi, dignitas tua ſatis illuſtris ipſa per ſe, neq. orationis lumen magnopere deſideret; neque ſilentij tenebras reformidet. Quare ſumma quædam dumtaxat attingam,potius quàm perſequar, veluti rerum capita; quibus virtutum tuarum præſtantia, nobis aliqua ratione propoſita, cum omniũ animi, tum eorum potiſsimum qui tui ſimiles eſſe cupiunt, ad tua perſequenda veſtigia concitentur. Atque vt inde mea proficiſcatur oratio, vnde vitæ Alexander ſumpſit initium. Satis eſt, opinor, exploratum illud & cognitum,vix dum nati præſtantiam à Paulo III. Pont. Max.ac ſapientisſimo præuiſam & præmonſtratam fuiſſe.Neç ſanè tantam præſagitionem feſellit euentus. Nam exacta iam domi pueritia, in Hiſpaniam à parente miſſus ad Regiam, vt ijs moribus ac diſciplinis imbueretur, quæ illius eſſent generi congruentes; præclara iam tum dedit, futurę virtutis indicia. Inde digreſſus, peculiari triremi, vt priuatus miles, in inſigni illo contra Turcas nauali prælio, egregiam in primis nauauit operam Chriſtianæ Reipub.vniuerſæ.Neque vero eſt hoc loco,primum ipſius inſigne facinus prætereundum; quod eo die quo celebris eſt de Turcis victoria reportata, cum hoſtium

ſti um triremi quadam congreſſus Alexander, ſtricto enſe in illam triremem omnium primus inſiluit . Iam parta victoria in Italiam reuerſus, num ſe otio ac languori dedit? minime vero . Vir enim ad res maximas gerendas natus, vltro ſuam operam Regi Catholico detulit, atq. vt Orthodoxam fidem pro virili defenderet, profectus in Belgium, ita in Sereniſſimi Ioannis Auſtriaci exercitu militauit, vt ſit in omnibus prœlijs & euentibus, generoſi ſtrenuiq. militis, vt poſtea ſapientiſſimi atque inuicti Imperatoris nomē conſecutus. Itaq. non ita multo poſt in demortui Ioannis locum creatus totius Belgici exercitus Imperator, perexiguo tempore, aperte ſatis vel ſuo oſtendit exemplo, non fortunę virtutē obſequi ſolitam, in inchoandis perficiendiſq. rebus maximis, ſed virtuti fortunam. Ergo Philippus potētiſsimus Hiſpaniarum Rex, vno propemodum ſibi Regio nomine reſeruato, totius Belgici muneris liberam adminiſtrationem Alexandro conceſſit . Hic mihi, Principes Illuſtriſſimi, paulum eſt, vt video, dicendi ratio, commutanda; Neque enim poſſum in reliquis ordinem temporum, hiſtorico more conſeruare, niſi longiore quam locus hic poſtulat oratione, veſtra in me audiendo benignitate abuti velim. Quare ſumma quæque ac maxime illuſtria ſeligam, in quibus vel ſingulæ ſeparatim, vel cunctæ ſimul perfecti virtutes Imperatoris elucent.

Et quanquam tanti viri res geſtæ etiam tacente me, virtutum eximiarum teſtimoniū poſteris illuſtrius multo transmitt-tent, quàm illis, hac præſertim tenui mea oratione poſſit afferri; quoniam tamen id ſuſcepti à me oneris ratio poſtulat, non nulla quæ ad inſignem eius, in Deū pietatem, atq. in Catholicam religionem ſtudium prope ſingulare, quæq. ad prudentiam, fortitudinem, clemētiam liberalitatem potiſſimum pertinere videbuntur, quam breuiſſime dicam. Neque vero Alexandri res geſtas mihi licebit, aut augere dicendo (quod Chriſtiano uix oratori conceditur) aut oratorijs vllis coloribus, ſi qua tamen hæc in me facultas eſſet, ornare, ne dum in ſingulis conor immorari diutius, nimis multa fortaſſe me temporis breuitas prætcrire cogat. Ego vero malo verborum pondera in

oratione

oratione meâ deſiderari, quam res ipſas eximias præſertim & magnas videri fuiſſe neglectas. Nam & rerum ipſarum grauitas, quas in medium proferam (niſi quid me fallit) eiuſmodi eſt, vt etiam ſi vobis nudæ (Patres Ampliſſimi) proponantur, carere tamen ſuo pondere nequeant; & eorum apud quos agitur tãta prudentia, vt ſuo rem quamq. pondere facile poſſint, etiam detractis ornamentis verborum, ponderare.

Primum igitur pietatis veræque Religionis laude vllum ne tibi quiſpiam, audeat Alexander, non dicam veterum Imperatorum falſæque religionis vel potius impietatis cultorum, ſed Chriſtianorum aliqua ex parte anteferre? Quotus quiſque.n. eorum qui bella etiam contra religionis hoſtes, aliquando ſuſceperunt, aut pro vera tuenda religione ſtrenue ſe in bello geſſerunt, ab omni priuati commodi cupiditate, vel ſpe certe aliqua liber omnino reperietur? Te vero, quid quæſo ad bellum tam diuturnum, & graue gerendum impulit? An priuatæ alicuius iniuriæ ſtudium perſequendæ? at nullum vnquam proprium detrimentum à Belgis acceperas. An regnandi libido? at non tibi Vrbes illas, oppida, prouincias recipiebas. An pecuniarum amor? at ex tuis in illud bellum quamplurimas conferebas. Vnum, vnum te ſtudium ſacroſanctæ Religionis, patria, liberis, ditione relicta, ad bellum difficile, diuturnum, periculoſum adduxit. Vna in Deum pietas, & in Catholicum Regem obſeruantia te in eo tantos labores ſuſcipere, tot perferre moleſtias, tam grauia ſubire diſcrimina coegit. Vnus fidei cœleſtis amor tamdiu te in opere præclaro retinuit, quo ad in illo, vitam extremumque ſpiritum effudiſti. Quid illa? num parua? num pauca? num obſcura ſummæ in Deum pietatis argumenta? Nullam bellicam expeditionem, nullam oppidi oppugnationem, nullam vrbis obſidionem, nullum prælium, nihil denique niſi Dei ope prius implorata, ſacriſque myſterijs rite præmunitus, agreſſus eſt Alexander. Nihil vnquam eiuſcemodi confecit, quod nõ publica ſupplicatione, gratijſque Deo, vt par eſt, agendis diuinæ bonitati referri vellet acceptum. Quin ſæpe (vt multis eſt plane compertum) noctu deprehenſus in templis eſt; cum, veſte

mu-

mutata, nudis pedibus, Deo, velut alter Moſes, non tam ſuam, quam ipſius Dei cauſam commendaret. Iam quid ego de ſumma Alexandri in rebus gerendis experientia, vſu, prudentia dicam? Cum alias ob cauſas C. Cæſar olim prudentiſſimus Imperator eſt habitus; tum vero quod ſæpe in rebus difficillimis ad deliberandum, ſolus optimam ſententiam, diſſentientibus ceteris, ſequeretur. Ita enim ſuis diſſuadentibus, de Rubicone traijciendo decreuit. Ita ad Dyrrachium ſuas copias legitur cohibuiſſe, ne cum Pompeianis recenti elatis victoria dimicarent. Alexander ad ſuos de Traiecti oppugnatione refert, ab omnibus quippe difficillima reijcitur. Antuerpiam ſtatuit oppugnandam. nulla id ratione fieri poſſe cenſetur. Ipſe vero ad facinus vtrumq. ſe comparat, & egregiam ſapientiæ laudem ex vtroq. conſequitur. Verum non videtur hæc Antuerpienſis oppugnatio ita celeriter perſtringenda; quæ ita inſigni eſt nobilitata victoria, propter varios rerum euentus, & multas maximaſque rerum difficultates, vt facile omnem omnium veterum Imperatorum gloriam Alexander, in hoc genere laudis, obſcuraſſe videatur. Et quidem illius pontis molem C. Cæſar, quem Rheno fluuio impoſuiſti, iam, credo, longe multumq. ſuperatam eſſe fatebere. Etenim Cæſar (Illuſtriſſimi Principes) id vnum agebat, vt Germanos Rheno traiecto ab Vbiorum obſidione remoueret: quem tamen fluuium ſolis Vbiorum nauigijs tranſire potuiſſet. Alexander id vnum ſpectabat vt Vrbem ampliſſimam, quæ ab auita veraque religione diſceſſerat, quæ à ſuo Rege defecerat, obſidione ac fame coerceret; prohibendis commeatibus & auxilijs, quæ Scaldi fluuio ad eam ingentibus claſſibus aduentabant; quod nunquam ſine pontis obiectu perfeciſſet. Cæſari materiam fluuius ipſe propemodum ſuppeditabat: Alexandro curandum fuit, vt è Dania vſque ingens lignorum ſylua vaſtiſſimo emenſo mari comportaretur in Belgium. Id vero qua ſolertia effecerit, quæſo conſideremus, Eam enim materiam quaſi vænalem ab Anglis & Gallis per quorum fines erat aduehenda tutam reddit; atque in Dunchercenſem portum deferri iubet, qui tunc ab hoſtibus vna

B cum

cum vrbe tenebatur; ipſe deinde vrbem ex inopinato aggreſsus, vrbe ſimul & materia conuecta potitur. Quid quod Cæſari cuncta ad illud opus neceſsaria nauigia Vbij ſubminiſtrarunt; Alexandro ut ſuum pontem inchoaret nauigia fuerunt hoſtibus eripienda? Sed reliqua breuiter, ſi placet, inſpiciamus. Cæſaris pons (Illuſtriſſimi proceres) quingentis hoc noſtro pedibus minor fuit, Scaldiſque fluuius Oceani in illum curſu atq; recurſu Rheno longe rapidior eſt & concitatior. Et Rheni quidem altitudinem vicinarum ſyluarum celſitudo, facile ſuperauit; at Scaldi nulla vſquam tellus vllam quamuis præcelſam arborem parem profert. Ergo ſublicio ponte in utraq. fluminis ripa quingentorum utrinque pedum exſtructo, cum intermediam partem explere antennæ uel celſisſimæ nullo modo poſsent; Alexander ſapienti conſilio colligatarum inſtructarumque nauium adminiculo utitur.

Verum quas tandem inſidias? quos conatus hoſtium Cæſar metuebat? arborum trunci, vt ſcribit, aut naues ne à barbaris deijciendi operis cauſa mitterentur, verebatur. At Alexandri ponti, quod ille ſapientisſime uidit, maximarum erant uires claſſium propulſandæ. Ergo hinc Antuerpienſium naues, inde Olandicæ claſses atque Zelandicæ quamplurimis, nullique antea conſpectis aliquando uel auditis machinis, illum adortæ, poſt multas irritas incurſiones, militumque plurimorum internecionem, pontem etiam interrumpunt. Sed hoſtium ſpem eiuſdem penitus euertendi Alexandri ſapientia & virtus eludit. Nam protinus, ò rem pæne incredibilem, ſex horarum ſpatio, pons iterum cunctis admirantibus excitatur. Quod ſi Cæſari magnum fortaſſe uidebatur, diebus non amplius decem, pontem ſuum eſſe perfectum; ab Alexandro ſuum ab hoſtibus labefactatum, ipſis inſpectantibus ſex tantum horis redintegratum, quanto tandem nobis maius debet, & admirabilius uiderij? Verum, ut ad alia pergam, quis vnquam ſatis Alexandri fortitudinem animi atque virtutem admirari queat, ne dum pro dignitate laudare; cum in eadem Vrbis oppugnatione, vadum vmbilico tenus ingreſſus, ſtricto eſſe ardenti oratio- *enſe*

ne

ne ſuorum animos inflammauit, effecitque vt exemplo ſuo, magna hoſtium ſtrage edita, milites occupatum ab hoſtibus aggerem recuperarent? Quo ſane facto mihi quidem illud Cæſaris, nihilo videtur illuſtrius, cum aduerſus Pompeium in Hiſpania pugnans, arrepto militis cuiuſdam clypeo, atque acerrime dimicans, cedentes ſuas copias, in prælium reuerti coegit. Neque maiori laude dignos Cæſaris milites exiſtimauerim, quam Alexandri, de quibus & præſertim de Romanis libentisſime dixerim; ſi dum immenſam Solis lucem inſpicimus, reliquorum ſyderum ſplendorem intueri poſſemus. Itaque recepto aggere Alexander, ingenti clade hoſtibus affectis, præclara iam parta victoria, munitisſimam compellit atque opulentiſſimam Vrbem, vt malit Alexandri clementiam, & humanitatem, quàm ſeueritatem ac vires experiri.

Sic Antuerpia illa, quæ vſque adeo fuit infeſta Catholicæ Religioni, ita Regi ſuo ſine cauſa per ſummam iniuriam infenſa, vt ſe iureiurando non ſemel obſtrinxerit, duriſſima quæque potius atque acerbisſima ſubituram, quam Eccleſiæ Regiſque ſui legibus parituram, Legatos tandem ſupplices ad Alexandrum mittit, recipitque victorem. Poſſemus hic eum (Patres Amplisſimi) magna cum voluptate contemplari diutius, dum res priuatas publicaſque componit, dum hæreticos eijcit, catholicos erigit, coenobia reficit, ſacras ædes inſtaurat, mores corrigit, edicta ſalutaria proponit, ipſam denique Vrbem accurate diligenterque communit. Verum temporis breuitas ad alia ſaltem veluti per tranſennam prætereuntes aſpicienda nos rapit.

Nam ſi alias quoque vrbes alioquin inexpugnabiles inuadentem, ſi earum moenia quatientem, ſi vel apertis aggresſionibus, vel Imperatorijs conſilijs ac ſtratagematis, expugnantem videre cupitis; Antuerpia relicta; illum ad Traiectum, Teremundam, Norueſium, Secluſam, Bruxellas, Tornacum, Gandauum, (In Gallijs ad

Corbolium, ad Laniacum, ad Viluardos, ad Aldenardenſes intuemini. Sin eiuſdem ſolertiam & induſtriam, in diſponendis potiſſimum deducendiſque copiis reguſtare mauultis; cernite illum, cum alibi ſæpe, tum in Neuportenſi portu, ſe ad Britannicam expeditionem comparantem; vbi paucis horis, triginta peditum millia, magna cum laude bis in naues impoſuit. Atq. vtinam Deus claſſi fauiſſet. Opulentiſſimum Regnum ex immani vnius crudelisſimæ mulierculę tyrãnide ereptum, Romano, vt olim, Pontifici iam pareret. Verum peccatis noſtris, ne in alios culpam reijcere videamur, ſtetit quo minus populus Catholicus, per Alexandrum florentiſſima & religioſisſima quondam Inſula potiretur. Vultis ne eiuſdem, quod antea dicendum in primis fuit, in hanc Petri Sedem & principem reliquarum, ſtudium ſingulari aliquo facinore recognoſcere? Aſpicite illum Summi Pontificis hortatu, aduerſus impurum impiumq. Colonienſem Antiſtitem, ſeu potius ex paſtore, ſæuisſimum lupum, ſtrenue decertantem, eoque pulſo Erneſtum Gulielmi Sereniſſimi Bauariæ Ducis fratrem optimum ac religioſisſimum in ſacrilegi contumaciſque præſulis locum, ſumma bonorum omnium gratulatione ſumma cum Romanæ Eccleſiæ dignitate ſubſtituentem. Vt iure Alexandrum Sixtus Quintus Pontifex Maximus gratiq. animi Princeps quippe optime de Sede Apoſtolica meritum honore ampliſsimo dignum exiſtimarit; enſeq. ab vrbe miſſo ſolemni ritu donatum, eundem Eccleſiæ Sacroſanctæ ſigniferum declararit. Iam quid ego de illius in laboribus, moleſtijs, incommodis perferrendis patientia dicam? Quæ tanta profecto erant, vt vel robuſtisſimi cuiuſque militis vires debilitare facile poſſent ac frangere; à quibus tamen forti alacrique animo ſubeundis, nulla vnquam eſt hyberni frigoris aſperitate, nullo æſtiui caloris ardore deterritus. Quinetiam à quadrageſimo præſertim ętatis anno, iã podagra obrepente, incredibile dictu eſt, quanta eſſet in omni victu continentia, quàm aſſiduis laboribus ac vigilijs exerceretur, quàm non modo certum tempus quieti non daret, ſed vix quod rebus gerendis ſupereſſet. Somnus autem ipſe, tantum abeſt,

vt

vt molli aliquo ſtrato, vel ſilentio accerſeretur, vt multi illum ſæpe viderint, militari opertum ſagulo, inter ſtationes excubiasque militares humi cubantem. Ecquo Alexandrum patientia, ecquo labor illum prouexit? infortunatos quodam modo veterani fortisſimique eius milites, ſe eſſe cenſebant; quod ſibi in Alexandri exercitu militare contigiſſet; etenim cum plus militibus laboris vel periculi nunquam imponeret, quam ſibi ſumeret; eorum egregia facta non ſecus ac ſtellæ in radio Solis, in virtutis illius ſplendore prope non cernebantur. An igitur optatis fortiſſimi Imperatoris magnitudinem animi, in uiſendis hoſtium locis explorandiſque cognoſcere? Primum ad Grauium illum ſpectate, cum occiſo etiam cui inſidebat ab hoſtibus equo, in alterum cogitur tranſilire: deinde vero nuper in Gallia ad Caudebechium, vno tantum milite comite; vbi ſclopi ictu dextero brachio vulnerato, nihil tamen à colloquendo, nihil ab ijs rebus de quibus inſtituerat agere, dicitur deſtitiſſe. Verum ne quis in oppidis obſidione liberandis admirandam Alexandri virtutem deſideret ac celeritatem; redite, quæſo, in memoriam (Illuſtriſsimi Principes) illius temporis; quo primum Belgicarum copiarum declaratus Imperator, Vrbem Namurcum, vbi tunc ipſe quoque cum ceteris ciuibus obſidebatur, pulſis hoſtibus liberauit. Verum quid opus eſt multa in hoc genere conſectari? Pariſienſis illum ac Rhotomagenſis ampliſſimarum Regiarumq. Galliæ ciuitatum liberatorem & conſeruatorem reminiſci ſit ſatis; id quod & ipſi gloriam attulit immortalem, & nobis lætitiam incredibilem, & Galliæ ſalutem exoptatam. Et quanquam locus hic ſuo iure videtur exigere, vt alias quoque res gallicas perſequar, quæ ſunt cum Alexandri non exigua laude coniunctæ; facile tamen omnes patiar ſileri: tum ne videar ab inſtituto conſilio velle recedere, ſumma quæque rerum capita perſtringendi, tum ne in prolixas moleſtaſque diſceptationes & inutiles fortaſſe controuerſias incidam. Satis enim ſuperque Alexander, vt nihil aliud egiſſet in Gallia, ſuo functus eſt munere; cum, id quod vnum fuerat illi propoſitum, hoſtes infeſtiſsimos ab vrbibus duabus nobiliſſimis depulit.

Ita etiam C. Cæſarem,cùm in Germaniam traieciſſet, Vbijs obſidione liberatis, nihil minus curaſſe, quàm Sueuos hoſtes cum exercitu integro remanere, memoriæ proditum eſt. Ecquis vrbes illas, niſi Deus Alexandri nomine, autoritate, virtute, opera defendiſſet; neſcit breui in hoſtiũ poteſtatem fuiſſe venturas? quibus captis duabus videlicet Regni ampliſſimi munitiſſimis arcibus,quæ ſpes erat ceteris oppidis,atq; vrbibus reliqua?quæ tandem uis exultantem ferocia,& ſecundis euentibus hoſtem coercere,victoria inſolentem continere, furentem audacia comprimere potuiſſet?Nolo hic metum(Patres Amplisſimi)mœroremq; renouare,quò tunc vniuerſa non modo Gallia, ſed Chriſtiana Reſpublica contabeſcebat,cum eius Regni calamitatem videret,cum & ea mala cerneret,quibus Regnũ illud olim florentisſimum, tunc verò propè calamitoſisſimum premebatur,& ea quæ impendebant, multo etiam grauiora formidaret. Quæ vtinam iam ſint omnia penitus ita ex illo regno ſublata, vt quamprimum Rege Orthodoxæ auitæq; Religionis ſtudioſiſſimo cultore delecto, in priſtinam dignitatem ac tranquillitatẽ,Deo bene iuuante,vindicetur.Hoc igitur beneficium tantum,quo tunc & vniuerſam Galliam, & Regem Catholicum Philippum,&Chriſtianam Rempub.Alexander affeciſti,nulla vnquam poſteritas conticeſcet: cum tot ſuperatis difficultatibus, in ſumma annonæ caritate,maximis itineris periculorum plenisſimi moleſtijs, tanta pecuniarum penuria, cum tres præſertim exercitus, diuerſis tamen locis diſſitos, nempe in Gallia, Belgio, Phryſia tuo Imperio moderareris,Regni ſedes ampliſſimas duas longe clarisſimas,Lutetiam Pariſiorum, & Rhotomagum ex hoſtium teterrimorum faucibus eripuiſti. Quid autem hic vobis coner, Auditores ornatiſſimi, Lutetiæ præſertim tempus illud ante oculos ponere, quod uos ipſi, recenti adhuc memoria recordamini? cum diuturna iam obſidione vrbs maxima & ciuitas frequentisſima premeretur; cum prohibitis commeatibus, conſumptiſque rebus eſculentis,miſeranda fame conflictaretur; cum crebris hoſtium, aut apertis incurſionibus angeretur, aut occultis inſidijs clandeſtiniſque conſilijs oppugnaretur, cum

ſpes

ſpes nulla ſalutis oſtenderetur, cũ vulgo iam non in ędibus priuatis modo, ſed in vijs, & compitis: pueri, viri, ſenes, inedia conſumpti, vixque oſſibus hærentes; nec vocem vllam hiante quamuis ore depromerent, & aliquantulum progreſſi, viribus tandem ac ſpiritu deſtituti, exanimati conciderent. At ſimul atq; Alexandri aduentantis vel audito nomine confeſtim receſſit hoſtis, tanquam nebula Solis ortu diſcuſſa, vt eiuſdem inuicti Ducis in vrbem ingreſſu, veluti noua oborta luce, inuectis eiuſdem opera commeatibus eſt annonæ vilitas conſecuta, vt fugatis procul hoſtibus, timor quoq; omnis eſt ac deſperatio profligata: quo tandem gaudio perfuſam ciuitatem, quo illam animo erga liberatorem ſuum affectam eſſe exiſtimatis? quibus eum oculis non iam vt mortalem hominem, ſed vt aliquem de cœlo delapſum intuebantur? Neq; tamen ipſe, qua erat in primis moderatione animi præditus, vllos deferri ſibi honores eſt paſſus, ne vt mortali quidem. Video me (Patres Ampliſſimi) rerum Gallicarum magnitudine, quaſi vento vehemẽtiore prouectum longius quam putaram; ſed vt aliquãdo portum tenere poſſit oratio, inhibebo remos, vt cũ de Alexandri clementia & benignitate pauca de multis attigero, perorẽ. Illud n. primum breuiſſime ac veriſſime dici poteſt; quod iamdiu multorum ſermone ac fama percrebuit: nõ minus Alexandri lenitate atq; clementia, quam vi & armis in Catholici Regis ditionem ac poteſtatem Belgicos populos eſſe reuocatos. Quinetiam hoc nomine non modo nunc uel ab hoſtibus defletur extinctus, & ab illis ipſis, ita vulgo celebratur, vt Imperator fidei (ſic. n. loquuntur) hoc, eſt, fide pręſtantiſſimus interiſſe dicatur; quippe qui ſemel fidem datam nunquam falleret, nunquam aut à ſe latis, aut ab acceptis cõdicionibus fugeret: verum etiam uiuus ita colebatur, vt qui adhuc Regi Catholico repugnant, ſæpe ingenue teſtati ſint, ſe ſi Alexander Farneſius eſſet immortalis, vltro in illius poteſtatem eſſe venturos. at quoniam vtrum ſucceſſores eſſent eius futuri ſimiles, ignorarent, propterea ſe ipſos ne illi quidem audere committere. Poteſt ne vllum illuſtrius fingi, ab hoſtibus præſertim datum, clementiæ teſtimonium? ſunt uero & alia multa præclara.

Ego tamen ceteris omiſſis; vno illius prope ſingularis humanitatis documento ero contentus; ex quo cetera facile liceat ſuſpicari. Ponte ſuper Scaldim de quo ante dixi perfecto, explorator Alexandri operum Antuerpia miſſus, captus ab Alexandri militibus ad Imperatorem adducitur; quem trepidantem ac nihil fortaſſe præter laqueum expectantem, Alexander perhumaniter accipit, bono eſſe animo iubet, atque ad munitiſſima quæque loca ipſe deducit; deinde, Redi iam, inquit, ad tuos, & quæ tibi ſint oſtenſa, renuntia. Hic enim vel victoriæ meæ locus erit uel ſepulturæ. Agnoſcitis opinor (Patres Ampliſſimi) quam ſtudioſus fuerit Alexander C. Cæſaris imitator, in ijs dumtaxat rebus quæ cum Chriſtiano, & optimo Imperarore poſſunt eſſe communia. Nam idem, vt noſtis, egiſſe legitur Cæſar cum Domitio Pompeij legato; iiſdemque fere verbis vſus hominem dimiſiſſe. Quanquam aliud eſt inanem quandam opinionem captare clementiæ, ut patriam deinde facilius opprimas, vt Regnum Orbis terræ per ſummum ſcelus inuadas; aliud virtutem propter vnam virtutis honeſtatem colere, atque adeo vt vni Deo placeas, quod cœleſtis eſt perfectæque ſapientiæ. Verum non eſt inſtituti noſtri nec temporis, hæc inter ſe accurate conferre.

Iam vero Alexandri munificentiam, ac liberalitatem Imperatore digniſſimam, quis vnquam breui præſertim poſſit oratione complecti? An non illa ſunt aperta ſatis beneficentiæ documenta, non modo nunquam ex immenſa pæne hoſtium præda quidquam ad ſe deriuari noluiſſe, verum etiam non exiguam ſuarum facultatum partem, in hoc bellum vltro liberaliſſime transfudiſſe? At multo etiam clarius fortaſſe Imperatoriæ plane benignitatis indicium fuit; quod ſæpe ingentem pecuniam, præter militum ſtipendia, à Rege Catholico, regia liberalitate ſibi vni donatam, continuo in eoſdem milites, pro cuiuſque dignitate meritiſque diſtribuit; cum ſuam ſimul illis fortunarum tenuitatem excuſaret, quod non ſibi opes obtigiſſent communicandæ cum ipſis ampliores. Vitam igitur tantis virtutibus illuſtrem, tot rebus fortiter ſapienterque geſtis inſignem, tam præclaris heroicisque factis glo-

rioſam

rioſam honeſtiſsimo, vt par eſt; Alexander exitu feliciſsimoq. concluſit. Eſt enim illa veriſſima & ſapientium conſenſu, ſeculorumque omnium experientia comprobata ſententia, non poſſe miſeram ei mortem contingere, qui honeſte vixerit, neque improbo glorioſam. Quare cum ętate iam ingraueſcente, & affecta valetudine, vel potius laboribus maximis afflicta, de animæ ſalute multo etiam cogitaret attentius, quanquam nulla de re magis fuerat aliquando ſolicitus, tamen quaſi iam præſagiret animo cito ſibi ex hac vita miſeriarum pleniſſima demigrandum, Chriſtianæ pietatis officia diligentius etiam & ardentius colere cœpit. Atque vt alia miſſa faciamus, vicies illum eo anno, qui fuit eius vitæ poſtremus, Sacerdoti peccata, Chriſtiano ritu, patefeciſſe, vicies ad Euchariſtiæ ſacroſanctas illas, ac cœleſtes epulas acceſsiſſe religioſi viri fideq. digni teſtantur. Quid plura? ſupremum tandem illud vitæ certamen, ita vigentibus adhuc ſenſibus, generoſe, pie, modeſte, fortiter obijt, vt cum omnia rite, vt illa deceſsio poſtulat, conſtituta reliquiſſet, ſe ad extremum iuſſerit, nullo apparatu, nulla pompa, ne veſtitu quidem paulo cultiore, ſed humillimis Cappuccinorum veſtibus indutum, (in quorum ſe familiam aſcribi ſupremo illo vitæ tempore voluit) ſepulturæ mandari. Ecquis in poſterum negare non ſtultiſsimus audeat, non modo chriſtianam poſſe modeſtiam, animique ſummiſſionem humilitatemque quam dicimus (quam Cæſares certe atque Pompeij olim penitus ignorarunt) cum virtute militari, atque adeo cum Imperatoria dignitate copulari, ſed ex illa quoque tantum decus exiſtere, tantum ad præclara facinora ornamentum illius beneficio ſemper accedere, quantum ex nulla poſſit actione militari, modeſtiæ Chriſtianæ virtute ſpoliata, manare. Hac enim demiſsi, immo uero generoſiſsimi animi faſtumq; mortalium inanem contemnentis egregia ſignificatione: non ne Alexandrum & à præcelſo Deo, qui humilia reſpicit, multo ampliore gloriæ corona donatum putamus, & maiorem apud homines qui recte ſentiant, exiſtimationē adeptum, quam ex rebus in bello fortiter geſtis, ſi eas præſertim ab hac virtute ſeiungas? Itaq; uir præſtantiſſimus, non modo in omni

vita,ſed in morte quoq. magnitudinem animi cum Chriſtiana pietate coniunxit. Suprema.n.hora iam inſtante,pijs religioſorum virorum monitis & precationibus confirmatus, Eccleſiæ Catholicæ ſacris myſterijs communitus, cum ſalutare Ieſu liberatoris noſtri nomen atq; ſanctiſſimum ſępius imploraſſet; cum apertis etiam declaraſſet indicijs,non modo ſe quæ ad illud maxime tempus accommodata dicerentur plane percipere, ſed pie in primis illorum auditione affici, eaq; intimo animi ſenſu deguſtare: ita demum de ſtatione vitæ ſupremi illius Imperatoris iuſſu decesſit; vt ad laborum ſuorum præmia ab eodem æquiſſimo ac liberalisſimo Imperatore capiẽda profectus eſſe iure credatur. Nihil igitur eſt, (Auditores Ornatiſſimi) cur Alexandri mortem ipſius certe cauſa lugeamus. Noſtram potius iacturam (cum dico noſtram totius Chriſtianæ Reipublicæ dico) doleamus. Nos.n. uere,ut Sanctiſſimus Noſter Pontifex Clemens Octauus,allato eius mortis nuntio, in veſtro (Cardinales Illuſtriſſimi) Senatu Ampliſſimo teſtatus eſt. Nos inquam, vt ſapientiſſimi paſtoris verbis grauiſſimis vtar; amiſimus præſtantiſſimum equitem, atque optimum Imperatorem.

Quis enim, quod Deus auertat, quis iam ſi quid in Gallia rurſus,ſi quid alibi grauius accidat,reperiatur,qui periculum, vel ſola nominis autoritate, vel ſui aduentus fama depellat? Quis in Belgio ad reliquas partes Regi Catholico, auitæque religioni reſtituendas non impar Alexandro, vt leuiſſime dicam,ſufficiatur? Nobis igitur immatura morte dici potes ereptus, non modo ſi ætatem ſpectemus tuam, ſed multo etiam magis chriſtianæ Reipublicæ ratione habita; cui & in periculis perfugium,& in difficultatibus auxilium à te uno maxime petebatur; vt iure verendum ſit, ne nobis noſtriſque ſceleribus iratus Deus hoc potiſſimum tempore te ſimul e tantis ærumnis ad beatam illam requietem vocarit,& nos tanto præſidio ſpoliatos eſſe uoluerit.

Tu autem vere fortunatus dicendus, cui nec immatura mors potuit accidere, vita honeſtiſſime acta; nec vita ſine maximorum laborum periculorumq. accesſione produci. Satis enim

tu quidem, vt opinor, te vixiſſe iam putes, qui non quamdiu vixeris, ſed quam bene, perpendis. Nos vero non modo ſi res à te cum virtute geſtas, ſed etiam ſi nominis celebritatem ex illis partam attendimus, ſatis te tibi quidem & gloriæ vixiſſe confitemur. Tuos certe liberos, teque digniſſimos, tuarum in primis virtutum egregiarum hæredes & gloriæ ſuperſtites habes eiuſmodi, vt ambos merito tui ſimillimos fore cõfidamus. Hæc igitur nos, Ciues ornatisſimi, conſolatio (ut in malis) hæc ſpes una ſuſtentet, quod ex optima planta ex generoſisſima, quæ nobis quidem videtur exciſa, ſed re vera eſt in agrum feliciorem amœnioremque tranſlata, ita præclara enata germina cernimus, vt in ſpem venire iure posſimus, fore ut aliquando (tametſi diuerſis nominibus) Alexandros Cardinales ampliſſimos, Alexãdros Imperatores inuictos, Alexãdros Pontifices Max. nobis liceat intueri. Nõ es igitur mihi, Odoarde Cardinalis Illuſtrisſime, vt cenſeo, vel proprie conſolandus, quem videmus tantum vulnus acceptũ, æquo animo, vt Chriſtianum virum decet ac moderate tuliſſe; vel tui parentis grauisſimi atque amantisſimi uerbis hortandus: vt (quod tua iam ſponte facis) expectationi quam de te maximam cõcitaſti, vt Alexandri patris; vt Alexandri patrui magni, vt Alexandri abaui virtuti reſpondeas. Orandus es mihi potius etiam atque etiam, & meo inclytique Senatus nomine obſecrandus, primum quidem quod initio dicebam; vt ſi minus diſerta & luculenta oratione ſum tui parentis laudes perſecutus, virium id mearum imbecillitati tribuas, non voluntati: deinde vero, vt hoc extructæ molis, totiuſq; funeris munus à Senatu Populoque Romano eidem Sereniſſimo Imperatori optime de Patria deq. Rep. Chriſtiana merito tributum, multo quidem certe illius dignitate inferius, ſi exteriorem apparatum ſpectes, at ſi animorum tamen ſenſum conſideres cumulatisſime perſolutum, Alexandri virtutis & gloriæ teſtimonium, noſtræque in illum pietatis & obſeruantiæ qualecumque monumentum, tuo & Rainutij fratris tui Sereniſſimi nomine bonam in partem accipere ne graueris. Dixi.